

Petrus de Vinea

*Ep. III 15 (Tanta est bonae
fidei et deuotionis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 15 (Tanta est bonae
fidei et deuotionis...)*

fine 1243?

Regi Cipri, recommendatio fratris Heliae.

1. Tanta est bonae fidei et deuotionis probatae constantia tantaque laudabilium efficacia meritorum, quam in prouido uiro fratre Helia, dilecto familiari et fideli nostro, semper et utiliter inuenisse meminimus, quod ipsum iam a fructibus cognoscentes, personam suam domesticam nostris seruitiis libenter adicimus et suae circumspectionis consiliis fiducialiter inheremus.

2. Cum igitur eundem fratrem nuper ad partes Transmarinas ad presentiam nostram transfretare paratum, pro quibusdam arduis excellentiae nostrae negotiis, in quorum executione personam eius utilem et necessariam fore censuimus, a transitu ipso, preter suae uoluntatis propositum, prouiderimus retrahendum et ipsum, licet inuitum, quodammodo in curia uestra propterea mandauerimus aliquamdiu moraturum.

3. Affinitatem uestram requirimus et rogamus attente, mandantes, quatenus negotia predicti fratris in partibus ipsis habere uelit sic efficaciter et utiliter commendata, ut, dum idem sub protectione nostra consistit, eiusdem negotia continua et uotiuia suscipiant incrementa, nosque uobis propterea, qui gratiam dicto fratri faciendam super hoc nobis ascribimus, diligentius obligetis ad grates, et fratrem eundem, qui famae uestrae uulgaris relator existit, deuotiorem faciatis ad uestra seruitia de deuoto.